

Mons. LUIGI PATRIZI-ACCURSI

RELAZIONE

DELLA VITA, DELLE VIRTÙ E DEI MIRACOLI

DI

SAN FRANCESCO DI PAOLA

Fatta al Sommo Pontefice Leone X

DA

GIACOMO SIMONETA

EDITTORE DI S. ROTA ROMANA

POL

Cardinale Della S. Chiesa



ROMA

LIBRERIA PONTIFICIA DI F. PUSTET

Piazza San Luigi da' Francesi, 33

1907

Mons. LUIGI PATRIZI-ACCURSI

RELAZIONE

DELLA VITA, DELLE VIRTÙ E DEI MIRACOLI

DI

SAN FRANCESCO DI PAOLA

Fatta al Sommo Pontefice Leone X

DA

GIACOMO SIMONETA

UDITORE DI S. ROTA ROMANA

per

Cardinale Della S. Chiesa



ROMA

LIBRERIA PONTIFICIA DI F. PUSTET

Piazza San Luigi de' Francesi, 33

1907

ALL'EMINENTISSIMO CARDINALE
DI SANTA CHIESA
FRANCESCO DI PAOLA CASSETTA
VESCOVO SUBURBICARIO DI SABINA

Eminenza,

Vari scrissero la Vita del gran Taumaturgo S. Francesco di Paola, di cui in questo anno ricorre il quarto Centenario del suo glorioso transito: ma tutti lasciarono molto a desiderare.

La migliore, a mio avviso, è quella scritta dai Padri Bollandisti con savia critica, tenuto conto dell'epoca in cui la compilaron. La inserirono nell'*Acta Sanctorum* del 2 aprile, dopo avere riportato quella redatta da un discepolo dello stesso Santo, ed i processi compilati per la relativa Canonizzazione.

Nel principio del Terzo Capitolo del Proemio Generale quei dotti Padri danno un cenno della Relazione che l'Uditore della S. Rota Romana, Giacomo Simoneta, poi Cardinale, fece al Sommo Pontefice Leone X, per dimostrare giuridicamente, che con tutta sicurezza si poteva procedere alla Canonizzazione di S. Francesco di Paola.

Il Simoneta mirabilmente compendio nella Relazione tutti i detti Processi, e dalla medesima il Pontefice Clemente VII fece desumere le Lezioni per l'Ufficio proprio dello stesso Santo.

Laonde ho creduto opportuno di pubblicaria in questa ricorrenza centenaria, attenendomi fedelmente al Codice conservato nell'Archivio della S. C. dei Riti, e di dedicarla all'Eminenza Vostra Reverendissima che degnamente porta il nome del gran Taumaturgo di Paola.

Universale è il desiderio di avere oggi una Storia completa della Vita di questo Santo che esercitò grande influenza con il suo Apostolato in Italia ed in Francia.

La storia completa si potrà avere dopo fatta una pubblicazione critica della corrispondenza epistolare del Santo, e di quella

tenuta in proposito dai Re di Francia con i Pontefici Sisto IV, Innocenzo VIII, Alessandro VI e Giulio II, aggiungendo tutti i documenti da ricercarsi negli Archivi di Stato Italiani e francesi, non che quelli esistenti negli Archivi Municipali e Notarili nei luoghi ove il Santo dimorò ed eresse i Conventi dell'Ordine da esso fondato.

Baciando la Saera Porpora, mi protesto
Dell'Eminenza Vostra Reverendissima

Roma, 2 aprile 1907.

Umilissimo Devotissimo Servo
LUCI PATRIZI ACCURSI.



Relatio D. Jacobi Simonetae

qui fuit unus ex Auditoribus Rotae et postea Cardinalis amplissimus facta S. D. N. Papae Leoni X super vita et miraculis Sancti Francisci a Paula Ordinis Minimorum institutoris ad effectum Canonizationis eiusdem Sancti extracta ex processibus.

Praecepisti mihi superioribus diebus (Beatissime Pater) ut quae de fama, vita et miraculis Beati Francisci quem oppidum Calabriae Paula tulit, ex testibus comperiissem, ea tibi (veritatem agnoscere cupienti) fideliter referrem. Quam, ut clarius intelligeres, vitam hominis secundum attestaciones quam brevissime conscripsi. Eam et sanctitate insignem, et rerum mirabilium splendore nulli maiorum cedentem libenter (ut opinor) leges. Nam ad augustissimi pontificatus tui laudem maxime pertinet. Quod divina providentia factum fuerit ut cum tu sanctitatem in primis colas, et christiani nominis gloriam in dies augere summis virtibus contendas saeculo tuo viri non defuerint, quos sanctitatis meritis consecrare.

Incipit relatio vitae et miraculorum S. Francisci a Paula ex qua relatione postea desumptae fuerunt lectiones proprii Offitii ipsius Sancti ut in officio est videre.

Cum semper, et ubique Divina benignitas hominibus praesto esse solet: tum caelestis beneficentiae largitas in nos effundi maxime videtur, cum summus

rerum omnium opifex, et moderator eo maiestatis suae culmen immensum inclinat, ut iuxta Psalmographum. Inopem de terra suscitet, et de stercore sublevatum pauperem, cum principibus populi sui collocet. Quam multi fuere superioribus saeculis, quos alioquin obscuros et omni terrenae gloriae splendore destitutos, sic aeternum divinae gratiae lumen illustravit, ut et praecipuam in terris venerationem mererentur, et preciosissimam in Caelo sanctitatis coronam consequerentur.

Non est huius tanti munera aetas nostra poenitus expers. Respexit nos ex excelso Sancto suo Dominus, et in tenebras (quibus caeca immortalitas involvit) quasi novae lucis radios Beatum Franciscum de Paula nuper emisit. Is in oppido Calabriac cui Paulae nomen infimo loco natus, iam inde statim ab infantia futurae probitatis specimen dedit elucescabant in tenellis annis igniculi quidam, ex quibus erupturam fore ingentis virtutis flammarum appareret.

Vix tertiumdecimum attigerat aetatis annum, cum ducente Sancto Spiritu secessit in heremum, ibi prima divinae militiae stipendia fecit: et ad nonumdecimum usque tyrocinii rudimenta posuit. Mox quia supremus Imperator tam egregium militem ducendis ordinibus in ecclesia destinarat, relicta solitudine, fratres in coenobium recepit. Sed quo magis aetas procedebat amplioribus etiam incrementis sanctitas proficiebat.

Iam non solum celebre nomen eius erat apud Calabros, verum, quod imprimis mirum videri debet hominis mendici, et in extremo Italiae angulo propemodum delitescentis ad Ludovicum undecimum Gallorum Regem fama penetravit. Qui cum incredibili tam rari viri desiderio teneretur cum multis pollicitationibus sollicitatum in Galliam ad se pollicere studuit. At ubi nihil animum totius mundi contemptorem movit regiae magnificentiae magnitudo. Confugit demum Ludovicus ad apostolicae sanctitatis auctoritatem, et ita factum est, ut Beatus Franciscus de Paula Sixti tunc maximi Pontificis iussu

(cui non paruisse nefas putabat) ad Regem profectus fuerit, apud quem summo fuit in honore.

Admirabatur Rex ille caelestem hominis in terris vitam et animum corporis conclusum, omnia mundi desideria vincere, quin eius praesentiam certissimum sibi, rebusque suis praesidium, et inexpugnabile totius regni munimentum existimabat et id recte quidem. Quid enim ad placandum Deum et vertendas imminentes calamitatum procellas innocentium precibus efficacius?

Turones urbem Galliae longe nobilissimam delegit, ubi primum in illis regionibus sedem figeret. Brevi valuit semen sanctissimae vitae, quod in agro Domini sparsit, et uberes fructus longe lateque diffusum et propagatum edidit, non solum in omnibus fere Galliae partibus, sed in Hispania, Germaniaque permulta construxit monasteria, quibus nec religiosorum frequentia, nec operis magnificentia decet. Taceo, quae prius ante professionem in Galliam, in Calabriam iuvenis admodum aedificaverat.

Illud vero quem non agat in stuporem quod rudis homunculus nulla prorsus litterarum cognitione, rerum omnium egestissimus, tantum potuerit ut inter exteris nationes, lingua, moribusque dissonas, novam religionem tam facile fundaverit, et auctam intra paucos annos ad maximae celebritatis fastigium evexerit, praesertim cum nulla sit nec arctior, nec durior, ut incredibile videatur inveniri, vel paucos potuisse, quos abscissa nimis severitate non deterret. His qui nomen in eam dederint, cibis omnibus (praeter quadragesimales) interdicitur.

In reliquis etiam omnibus vivendi normam leges cum simili rigore constringunt. Nec in indumentis, orationibus, ieconiis, ac variis corporis macerationibus quicquam, nisi forte supra naturae mortalis tollerantiam reperies. Noverat huius professionis et disciplinae princeps et auctor diligentibus Deum, nec animae, nec corporis vires ad extrema quaeque patienda deesse, sed humanam imbecillitatēm (sicubi fortassis laborat) divinae

potentiae praesidio confirmari. Nec id alieno magis percepérat exemplum, quam suo deprehenderat experimento.

Instruebant eius mensam (ut hic aliquid de vita hominis, et moribus particulatim scribendi sumam exordium) panis et aqua, inde pocula, inde epulæ. Quod si corpusculum necessariis alimentis fraudatum deficeret, ad olera, aut legumina descendebat. Vini modicum et raro adhibebatur, hac refocillatione reintegrabatur membrorum vigor exhaustus, cibum semel tantum in die capiebat, et eum sub noctis tempus.

Non desunt qui affirment dum contemplationi totus intendit, saepe biduum vel triduum inediā pertulisse. Quam rem ex eo coniectant, quia cibus a fratribus ministrantibus in cellam illatus, per totidem dies intactus conspiceretur. Pedes nullis nec aestate nec hyeme muniebantur calciamentis, sed nudi ferebantur per rigentes nives, per rigentem pulverem, per foedum lutum, per asperos lapides, per aculeatos vepres, illaesi tamen semper, ut nec frigus congelaret, nec aestas adureret, nec caenum inquinaret, nec calculi praemerent, nec sentes ferirent. Mandaverat enim Dominus Angelis suis, ut custodirent eum in omnibus viis.

Vestis erat id genus, ut nec ad levandos calores nec ad defendendum algores, sed ad unam tantum corporis nuditatē velandam comparanda foret vilis et obscura, et unica, cuius usum diffiniebat dissoluta nimis longo usu textura. Reliquit vestem unam imo verius (fragmenta quaedam vestis) et reliquias fratribus in monasterio quod iuxta Paulam extruxerat. Ea maxima est apud populos illos in veneratione, quod inde solo contactu divini numinis praesentia votis respondeat.

Nunc operae pretium est attendere in quam duram servitutem corpus redegerit alios quos diurnus labor fatigaverit, nocturna quies excipit, ut inde recreent, at qui tandem dies huic erat. In heremo praebevit cubilis vicem nudum solum. In coenobio, dum apud Calabros ageret, artus fessi tabulae committebantur. In Galliis strato ex

sermentis usus est. Ita cum quietem petebat tunc etiam gravissime corpus affligebat.

Nullas horas sine fructu praeterfluere, nihil temporis, vel momentum quidem, frustra perire passus est. Nunquam ulla cessatione se remisit eius virtus, intentus semper erat animus. Ante lucem in templum ex cellula progrediebatur ad orandum. Deinde operatis sacris, re divina per sacerdotem facta. Nonnunquam hymnis omnibus (quos distinctis horis ecclesia Deo canit) auditis in cellulam se recipiebat.

Ibi preces iterum repetebantur, ibi tantus eum contemplationis incessebat ardor, ut frequens, et constans opinio sit ad coelestia spiritu rapi per se solutum. Quin et Angelorum choros ad eum descendisse ferunt argumento sunt psallentium in cellula concentus auditi. Nec aliud in causa fuisse crediderim quod Carolum olim octavum Gallorum Regem non admiserit, cum alioquin ad ostium starent ministri, Regem adesse nunciantes, nisi quod terrenum principem neglexerit dum ineffabilem Regis Regum, et Domini dominantium maiestatem contemplantaretur.

Secedebat nonnunquam in hortulum quem manibus suis colebat. Ibi ne tantum quidem cum opus faceret a divinis erat alienus. Nam aut orabat, aut oranti similis videbatur. In monasteriorum fabrica primas egit inter operarios partes. Non satis habuit quod pectus suum ita preparasse et excoluisset, ut vivum esset Dei templum. Studium etiam adhibuit ut Deo sedes et servis eius manuum labore constitueret.

Illud nequaquam hoc loco praetereundum videtur licet unica veste tantum (ut supra diximus) uteretur et in ardentissimis caloribus sese variis laboribus exercebat, nihil in eo tamen olidi, nihil immundi fuit unquam animadversum, imo nitorem illuvies illa et odoris suavitatem neglectus corporis cultus prae se ferebat cum ad

eum ornandum virtutum omnium coetus veluti quadam conspiratione convenisset.

Eminebant inter caeteras humilitas et patientia summus erat suae religionis antistes, quem generalem vocant, et cum tanto magisterio fungeretur, ad infima tamen sese vilissimis quibusque ministeriis abiiciebat. Amplissimam dignitatem ratus, si diligentissime commodis aliorum inserviret. Patientia fuit invicta, quem non volupatum illecebrae labefactare, non gravis senectus de gradu deicere, non peregrinatio concutere, non adversa valetudo expugnare potuerit.

Idem semper fuit, eodem vitae tenore semper sibi constituit. Sed qui tam severam in semetipsum ageret censuram, ut inexorabilem etiam ubi flagitabat aliquid substantaculi corporis necessitas se praeverberet. Reliquos incredibili benignitate complectebatur et fovebat. Religiosos suos errantes interdum (ut humanae conditionis fert fragilitas) sic castigavit, ut a paterna charitate clementiaque non abesset castigatio.

Non defuerunt obtrectatores, qui malignitatis suae virus in eum funderent, et sanctissimam vitam tanquam insaniam, aut simulationem impudenter, et nefarie criminarentur. Hos sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, et sustinuit fortiter, et sprevit constanter. Multi postea qui linguas suas tanquam gladios exacuerant, tanti sceleris poenitentia ducti, palinodiam facere non erubuerunt, hominis innocentiam passim praedicantes, et delictum suum publice confitentes.

De castitate vero, quid attinet dicere? Nam quis eum ad extremum usque corpus incorruptum, et mentem puram, integritate virginali custodisse neget? Qui nondum pubescens in solitudine sese religaverit, ne ulla prorsus mundi contagione pollucretur, et animam suam tanquam hostiam immaculatam, a teneris Deo dicarit. An ullis illum caro gestiens stimulis incitaret in quo

pene demortua languebat! An voluptas ulla titillatione sensus emoliret, qui contra delicias omnes diri-
guerant!

Excubabat pervigil, et oculatissimus custos, et in statione semper habebat animum, ne qua vis irrumperet. Aditus omnes, quibus mortalium infirmitas tentari potest munierat adversus impetum, et hostiles insidias. Quamvis autem frequentiam hominum refugeret, et cellulæ solitudinem amaret per quam in Coelum conscendebat, et Deo coniungebatur, mira tamen humanitate patuit adeuntibus, quos variis temptationum morbis implicatos, variis etiam (sicuti res postulabat) medclarum curationibus prosequebatur.

Elatos et tumidos coercedebat humanae conditionis admonitio, calamitosos et animo fractos erigebat divinae miserationis expectatio. Moerentium lachrimas detergebat plena sapientiae consolatio. Quam multus illi sermo de contemptu divitiarum, de mundi displicentia. Quibus verborum facibus audientium animos ad amplexandam virtutem et evangelicam disciplinam capessendam accendebat! Quid quod inter alia divini spiritus charismata quibus abundavit, dono quoque vaticinii non caruit. Multis futura praedixit, et praedictioni fides eventus non defuit.

Multis quae faede commiserant (cum inexplorabilibus ea conscientiae suae latebris tegi putarent) aperuit. Qui mox hominem introspexisse mirati, quae patere soli Deo poterant, ad sanitatem redierunt.

Iam fortissimus athleta decurso summa cum laude stadio metam attigerat, et diem adesse sentiens qua certaminis a Deo coronam acciperet, vocatos ad se fratres, primum ad concordiam et mutuam charitatem colendam hortatus est, et religionem quam voverant, constanter et fideliter observandam. Tum de successore deligendo mandata dedit, nominavitque quem sibi praesulē sufficerent donec in sequentem annum totius re-

ligionis Romae conventus haberetur, in quo publicis
fratrum suffragiis antistes crearetur.

Adeo prius et providus parens et filiorum curam
quam mors finiebat, post mortem etiam extenderet. Mi-
gravit apud Turones laetus, et exultans anno a natali
Christiano millesimo quingentesimo sexto, computando
more Gallicano, Romano vero more millesimo quingen-
tesimo septimo. Suae vero aetatis nonagesimo primo,
die quae nobis Dominicae passionis memoriam, et luctum
anniversarium refert. Cum pridie licet quatriduum ante
vehementissima febri constitutus in templum proces-
sisset, ibique cum reliquis fratribus Eucharistiam reli-
giose sumpsisset.

Incredibile est, quot populorum agmina, quantam
utriusque sexus, et cuiuslibet aetatis multitudinem fama
de huius hominis obitu propriis sedibus exciverit. Con-
fluebant plenis undique viis ad visendum corpus nondum
sepulturae mandatum. Venerabantur hospitium illud no-
bilissimum in quo tam insignis anima diversata fuerat.
Osculabantur membra, quae tot sanctorum (*operum*)
fuerant instrumenta cuius singularem in terris pietatem
et beneficentiam senserant, eiusdem in Cocco implorabant
apud Deum opem.

Nec vanae supplicantium erant preces, nihil dene-
gabat, tam fidelis servi meritis et intercessionibus di-
vina benignitas. Postulare videtur hic locus miraculo-
rum seriem recensem, sed cum nimia eorum sit copia,
paucis attingenda non puto, quae spatiosi voluminis
historiam desiderant. Adde quod adeo vulgata sunt,
praesertim apud Calabros et pene omnes Galliarum
partes, et populos, ut narrationis nostrae testimonio non
egeant. Quod si quis paulo curiosior rem exactius no-
scere cupit acta perquirat, et excutiat, quae mirifice per
Beatum Franciscum de Paula patrata. Scriptores alii
summa diligentia, parique fide retulerunt.

Illud ego satis habeo testari, quod Deus Optimus
maximus in ipsius Francisci de Paula gratiam, sic ho-

minum votis dexter, et volens adest, ut caecorum caligo discutiatur. Mutorum lingua vinculis exolvatur. Surdorum aures aperiantur. Taceo claudos ambulantes, leprosos mundatos, demoniacos liberatos, et curatos morbos quos medicina deploraverat. Restituitur etiam furiosis quies, et insanis mentis sanitas confertur. Quod priscis temporibus, aut nunquam, aut raro contigit.

Quis igitur hunc praecipuis honoribus in ecclesia Dei venerandum esse non iudicet? quem Deus ipse praecipuis muneribus decoravit. Quis non putet tantum virum coelestibus chorus Angelorum misceri? qui cum terrenis membris esset amictus, terrena omnia exuebat, et Coelo se inserebat. Immortales Immortali Deo gratiae sunt agendae, qui gloriae miserationumque suarum magnitudinem, nostris temporibus per Beatum Franciscum mundo manifestavit. Merito gaudeant et exultent Paula et Turonensis civitas quarum altera fulgentissimum sanctitatis sydus terris dedit, altera Coelo intulit.

Sequentes sunt rationes, quibus praefatus D. de Simona probavit apud Leonem X, Canonizationem Sancti Francisci de Paula fieri debere.

Ex hac igitur narratione multa colliguntur subiecta tamen castigatissimo, limatissimoque Sanctitas tuae iudicio quibus Canonizationem tam rari, insignisque viri fieri debere arbitror.

Imprimis autem non tantum me ad id hortatur, sed etiam mirum in modum impellit virginitas ipsa quam interruptam, immaculatamque semper observavit. Haec quidem illos qui eam custodierint super alios excellenter, perfectiorisque ingenii efficit. Hinc musas omnium virtutum deas virgines esse finxit antiquitas, et Palladem deam ingenii, non solum ex Iovis vertice natam, sed virginem semper fuisse fabulata est. Quam opinionem clare confirmat Apostolus dum 7 ad Corinth. dixit quod virgo ea quae Dei sunt tantum cogitat, et sic coelestia et su-

virginitas.

blimia. Nupta vero ea quae mundi, et propterea ad terrestria et humilia animum tantum intendit. Amari enim virgines a Deo plus caeteris omnes existimant, cum Deo sponte offerant, quod eis impetratum non est, maiorique gratiae est offerre quod non debes, quam reddere quod teneris. Inscribunt Sancti Patres, et praesertim Divi Ambrosius et Hieronimus et habetur in c. Integritas 32 q. 1 in c. Si Paulus, in c. qui sciat 32 q. 5. Hinc merito virginibus, non tantum sedem in Coelo, sed et aureolam esse paratam a Deo, Christiana religio recte credit, ut dicitur in c. Nuptiae 32 q. 1 in c. hoc solum 3 q. 5 in c. pe. de probat. et in d. c. Si Paulus, et per Iustinianum in § Sancimus in aut. de lenonibus. Nec ab his pagani, seu gentiles ipsi dissentunt. Nam Cicero lib. 2 de legib. refert quod lex inquit ad divos adeunto caste pietatem adhibeto. Qui secus fecerit, Deus ipse vindicta erit, subditque idem. Iubet lex Deos adiri animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis quin observetur, ut casta corpora adhibeantur, nam nec aspersione aquae, nec dierum numero tollitur animi labes, nec diuturnitate evanescere, nec manibus elui ullis potest. Hoc quoque Tibullus lib. 2 affirmit, dum inquit. Discedat ab auris cui tulit hesterna gaudia nocte Venus. Casta placent superis pura cum veste venire. Et manibus puris, sumite fontis aquam. Huic etiam sententiae astipulatur Virgilius, dum in 6 Eneid. Sedes beatas per sacerdotes tantum castos teneri, meminit eo carmine. Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.

Religio. Considerandum etiam plurimum puto esse religionem arctissimam, et in summa paupertate constitutam, quam ipse admodum adolescens instituit, ad extremumque vitae obitum constanter observavit. In qua quidem religione qui profecerint cunctis hominibus meliores esse existimat Augustinus, ut habetur in c. In quantolibet 47 dist. Quia cum ex voto, et voluntatem, et potestatem Deo subiecerint foelicique necessitate ad bonum compellantur plus caeteris non profitentibus, sed voventibus,

mereri recte iudicantur, ut habetur per glos. et alios in Clem. Si Dominum de reliq. et vener. Sanct. Per Archid. in c. Si quis 1, q. 2 referentem B. Thom. 2^a 2^o q. 86, art. 6, et per Ricar. in 4 sent. dist. 38 q. 6, art. 2.

Sicut etiam in perfectiori gradu religiosi mendicantes quam alii, et inter hos in arctiorem et duriorem vitam agunt, ut late diffinit Augustinus de Anchona in lib. de eccles. potest. q. 103, art. 1. Vita namque et mores sanctos faciunt sacerdotes 40 dist. c. non nos cum consequentibus. Propterea non immerito Dionis. in lib. de eccles. hierarc. Religiosos Deo famulantes, perfectos homines appellat. Nam ut inquit Gregorius in expositione numeri 6 cap. Per votum paupertatis res huius mundi exteriore Deo voluntarie offeruntur. Per votum continentiae conculcatis omnibus huius saeculi illecebris et voluptatibus, corpus Deo dedicatur. Per votum obedientiae in holocaustum, anima et propria voluntas traditur, quae omnia veram perfectionem manifeste ostendunt.

Non praetereundum hominis charitatem esse censeo qua plurimum opere, et sermone in Deum ac proximum abundavit. Et propterea imperfectum scientiae abundantem charitatem in eo supplevisse arbitror, ut habetur in c. nisi cum pridem de renuncia quae quantae vis et potestatis sit nos docet Paulus apostolus scribens ad Corinth. c. 13. Qui vero proximum suum diligit, legem omnem adimplet, ut idem Apostolus scribit ad Romanos c. 13 et idem repetit ad Galathas c. 5, dum inquit. Omnis lex in uno sermone adimpletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Haec autem charitas ut scribit Prosper lib. de contemplativa vita, est recta voluntas ab hominibus terrenis, ac praesentibus prorsus adversa. Iuncta vero Deo inseparabiliter et unita igni quodam Spiritus Sancti, a quo est et ad quem refertur incensa. Inquinamenti omnis extranea corruptionis necessaria, nulli vitio obnoxia, super omnia quae carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima divinae contemplationis avida. In omnibus semper

Perfectio mendicantium plus carteria.

Charitas.

Differentia charitatis.

invicta, summa actionum bonarum, salus mortum, finis coelestium praeceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantum, palma iustorum, anima sanctorum mentium, causa meritorum bonorum, praemium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis peccare non potuit, nec poterit, fructuosa in poenitentibus, laeta in proficiensibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Haec habentur in c. Charitas de pen. dist. 2. Quis ergo B. Franciscum esse sanctum dubitet? qui ex perfecta charitate cuncta operatus, nihil, nisi secundum legem Dei, aut cogitavit, aut adimplevit.

Humilitas.

Quod si in Canonizatione Sanctorum humilitatem attendere voluerimus, profecto beatum Franciscum tanta humilitate praestitisse, quisque comperiet, ut nec maior, nec ulterior in homine, aut inveniri, aut optari posset, cum Ordinem Minimorum instituerit quo quidem, ut non tantum ex vi verbi, quam etiam ex re ipsa arguamus, nihil abiectius, nihil humilius dici potest. Accidit quod fratrum suorum vestes dum eis auxilio cunctis in rebus esse studet, lavit saepius, et mundavit, et quoscunque sacerdotes licet Ordinis sui Generalis nuncuparetur, praeferrri sibi semper voluit, et vere minimus inter homines appareret.

Gradus humilitatis.

Humilitatis autem tres sunt gradus 1^a est subdere se maiori, et non praeferre se aequali et haec dicitur humilitas sufficiens et necessaria. 2^a est subdere se aequali, et non praeferre se minori, et haec dicitur abundans. 3^a est subdere se minori, et haec dicitur superabundans, ut habetur in glo. fi. in Clem. 1 de relig. domib. quae multa ex recitatione Sanctorum patrum in commendationem humilitatis refert. Neminem igitur dubitare arbitror, quin superabundantem humilitatem observaverit cum omnibus etiam inferioribus et subditis (ut supradictum est) quasi in omni rerum actione sese subiecerit. Caeterum glos. super verb. psalterii, vide humilitatem dicit quod nemo vivificatur nisi per hu-

militatem, quae est caput omnium virtutum, quam refert Archid. in c. qui Episcopus 23 dist. hanc potissimum nobis amplexandam reliquit D. N. Iesus Christus qui humiliter, ac patienter multa pertulit a Iudeis, ut nos humilitatis, et patientiae ex eo haberemus exemplum sicut memoriae prodidit Ciprianus, et refertur in c. Dominus noster 93 dist. alibi vero dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et refertur 296 c. qui scit, nec non humilitatem docens dicit non veni ministrari, sed ministrare, qui maior est vestrum, sit vester minister c. diaconi sunt 93 dist. Propterea secundum Psalmographum. Respexit Deus in orationem humilium, et non sprevit preces eorum, et Ecclesiastici c. 35 dist. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, et non discedet, donec Altissimus eam suscipiet eis quoque maxima pollicetur Deus praemia. Nam Matth. 18 c. dicitur quicunque ergo se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic est maior in Regno Coelorum, et per Lucam 7 et 18 c. Qui se humiliat exaltabitur, per Petrum vero. Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Postremo Cassiodorus super illud: Humilia respicit pulchre scribit. Erubescant elati ubi locum credunt habere superbiam, cum Coelum et terram ab humilitate videant occupari. Pie igitur credendum est quod beati Francisci humilitatem ipsam, non autem ipsius similitudinem, ut multi solent amplexati iustis precibus divina veritas nihil unquam negaverit, et morienti sedem in Coelo iam totiens se humiliantibus provisam proculdubio concesserit.

Quam etiam patiens, et constans fuerit in omni vitae actione satis superque edoctum est. Accedit quod cum plenus fuerit ferventi charitate necesse est, ut maxima usus fuerit patientia. Nam iuxta Apostolum ad Corinth. 13 c. Charitas patiens est, benigna est non aemulatur, non agit perperam, non est ambitiosa. In omnibus itaque semetipsum exhibuit, sicut Dei ministrum in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in vigiliis, in

Patientia et
constans.

ieiuniis et castitate secundum eundem Apostolum 2 ad Corinth. c. 6 et iuxta eundem ad Roman. 12 Spiritu semper fuit fervens, Domino serviens spe gaudens, in tribulatione patiens, orationi insistens, ac necessitatibus sanctorum communicans, et in patientia sua animam suam possidens. Sciebat enim patientiam esse admodum necessariam, secundum Apostolum ad hebreos 10 c. quae causatur a charitate nec perfecte haberi potest sine auxilio gratiae divinae ut plene per S. Thom. 2^a 2^o q. 136. Propterea inquit Liberius Papa in c. Suggestum et q. 1 quod omnes secundum apostolicam praedicationem, qui volunt pie in Christo vivere, persecutiones patiuntur, hoc autem declarans caute Augustinus in sermone ad Lippum inquit. Christus enim cum nostrae religionis caput sit nosque eius membra simus, debemus non solum cum, sed et vitam eius cumulatissime sequi. Vita enim Christi respersa fuit angustiis plurimis, summa paupertate circumdata. Ipse vero a Scribis et Pharisaeis derisus, tandem propter nos peccatores morti turpisimae traditus, unde electos Dei varias persecutiones pati necesse est. Omnes enim qui ad Paradisum ire desiderant, oportet transire per ignem et aquam. Sive fuerit Petrus apostolus, cui datae sunt claves Regni Coelorum, sive Paulus vas electionis, sive Ioannes, cui revelata sunt secreta coelestia necesse est, ut omnes dicant, per multas tribulationes oportet nos intrare Regnum Dei.

Religionis optimum regimen.

Illud quoque maximum sanctitatis illius testimonium praebet, quod religionem suam, cuius moriens summus erat antistes per plurimos annos summa cum ratione et prudentia gubernavit. Nam qui honore praestantior est, alios quoque auctoritate et moribus excellere debet, ut scribit Symachus Papa, et habetur in c. vilissimus 1 q. 1, et in c. mirainur 51 dist. Refert Leo Pontifex quod non potest de eius provectione dubitari cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis certioris loci praemium debetur maxime pro-

flecto integratatis documentum est, cum Praelatus suus verbo et exemplo prodesse potest, nam ut patet Lucae 7, qui non eximit trabem de oculo suo, non potest de oculo fratris sui festucam cibicere, et habetur 3 q. 7 § porro in fin. et 1 q. 1 c. multi. Hinc recte scribit Ambrosius: Quomodo criminosis alios emendare potest, cum eadem quae corrigit se commisisse cogitat, nempe cum de alio judicaret in se statim ferret sententiam c. Iudicet 3 q. 7. Non ab re propterea Gregorius 7 moralium inquit, quod nunquam pure maculam considerat oculus, quem pulvis gravat, et superiectas sordes tergere non valent manus quae lutum tenent. Unde dicitur Ecclesiastici 14. Qui sibi neque est, cui alii erit bonus? Recte igitur existimandum est cum ignarus litterarum religionis suae gubernacula prudenter tot annos tenuerit, quod ea ob solam sanctitatem et religionis longam experientiam, quae rerum omnium magistra est c. quod scit de elect. in 6 a religiosis suis Sancto suadente Spiritu illi demandata fuerint.

Ex his tandem omnibus (ut arbitror) abunde constat cuncta, quae in laudem et gloriam confessorum in hymnis divinis decantat ecclesia, ad canonizationem B. Francisci affluenter concurrere. Quis enim pietatem eius non intelliget, cum nemini nocere, omnibus autem prodesse semper studuerit, neminem eius opem et auxilium frustra postulare nunquam permiserit (ut ex eius vitae narratione evidenter apparet). Pietas autem ipsa virtus est de se specialis, ut per Sanctum Thom. 2^a 2^o q. 101, c. 3 et est mater omnis boni operis ut dicitur in c. Si quaelibet 22 q. 2. Qui vero per opera pietatis se instituit, etiam praesentis vitae subsidia, et aeternae claritatis praemia a Deo percipit, secundum Hiero. ut habetur in c. hospitalem q. 2 dist. Unde Apostolus scribens ad Thimotheum ait: Exerce te ipsum ad pietatem nam corporalis exercitatio quidem ad modicum utilis est, pietas autem est utilis ad omnia habens promissionem vitae quae nunc est, et futurae, Deum quoque pietate et cle-

Pietas

Quid sit pietas.

mentia imitari nequaquam hominibus negatum est, ut inquit Iustinianus in L. Imperialis c. de nuptiis, et in auth. ut iudices sine quoque suffragio § itaque col. 9.

Prudentia.

Prudentem vero debere esse hominem sicut serpentinum, et simplicem sicut columbam, docet divina veritas Matth. 10. Serpentis prudentia est diligenter cavere a supplantantium insidiis non vi non fraudi locum relinquere 6 q. 1 c. ex merito. Sed columbae simplicitas est nemini iniuriam inferre, nulli dolos aut insidias parare. Sancti namque viri quaecumque agunt, in conspectu Dei agunt c. verum de poenit. dist. 1. Quis autem huiusmodi naturalem sapientiam illi defuisse existimet, qui Deum ex tota mente totoque animo semper coluerit atque timuerit et ab eo propterea amari dignus fuerit. Nam Proverbiorum c. 1. Initium sapientiae timor est Domini, et Sap. 8 c. Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Caeterum hominis castitatem, et pudicitiam ac humilitatem supra plene enarravimus, sobrietatem autem eius qui non admiretur, cum nondum pubescens solitudinem et heremum delegerit, et vitam non tantum a delitiis, ac huius saeculi voluptatibus intactam, sed fere ab omnibus, etiam ad corporis sustentationem necessariis abstinentem, omni prorsus aetate observaverit. Fuit etiam proculdubio quietus, id est modestus, et non percussor cum ex eius ore nunquam verbum turpe exciderit, nunquam perturbati sensus, aut inquietae mentis ulli apparuerit. Unde ad Philipp. 4 scribit Apostolus. Modestia vestra sit nota hominibus, et habetur 45 dist. liquide igitur innotescere omnibus potest, nihil in Beato Francisco desiderari posse quod ad sanctum, et immaculatum confessorem pertineat.

Castitas.
Pudicitia.
Humilitas.
Sobrietas.

Modestia.

Fama quid sit.

Plurimum quoque adiuvari canonizationem Sanctorum ex fama, omnes recte existimant quae est illaesae dignitatis status, legibus ac moribus comprobatus, ut scribit Iurecon. in L. I de variis et extraordinariis cognitionibus sed hoc loco pro laude et celebritate sumi-

tur, ut etiam apud Virgilium fama super ethera notus, et alibi, sed fama extendere factis, hoc virtutis opus. Quae quidem fama, ut scribit Cicero in rhetorics plerumque talis est, qualis vere est vita hominis Arist. 7 Ethic. loquens de fama, quae incerta est, et fundamento caret, dicit (ut verbis eius utar) quod fama quam omnes famant, non omnino perit. Et de eadem loquens Averrois in lib. de somno et vigilia ait: Famosum dictum non est omnino falsum sed famae quac de innocentia, et sanctitate B. Francisci per Italianam, Galliam, Hispaniam et Germaniam celebris et ingens pervagata est, proculdubio credendum est, ea enim certos habet autores, ut ex testibus evidenter constat, a personis etiam gravibus et honestis originem traxit, ad haec certis rerum exemplis, et experimentis comprobatur plurimis quoque annis, et vivente B. Francisco et eo mortuo magis atque magis invalescens semper erexit, et in dies etiam augetur. Nam si tenemus illam opinionem quod ubi agitur de probanda virtute hominis sola fama probat ut vult Bal. in L. providen. c. de postul. quem referunt, et sequuntur Doct. in c. veniens de test. et in c. 1 de appell. constat quod fama maxime tot adiuta et fulcita adminiculis sanctitatem, et innocentiam hominis probat, et praesertim ubi de nullius praeiudicio tractatur, ut est materia canonizationis, quemadmodum firmat Egid. decis 672 cum duabus sequentibus. Nam in his in quibus de nullius praeiudicio agitur, etiam fama plene probat, ut in suprascriptis locis plene habetur. Sed secundum communem omnium sententiam negari non potest quin in hac re semiplenam saltem probationem faciat, ut per glo. in L. 3 § L. Iulia de test. et per Bar. in L. de minore § tormenta ff. de question. et per canonistas in d. c. veniens et c. 1 ergo dare relinquitur ex fama canonizationem hominis plurimum adiuvari. Cuius quidem famae, ut omnes curam habeamus monemur Ecclesiastici 41 c. dum dicitur: Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam

mille thesauri pretiosi et magni. Vitae numerus dierum brevis, nomen autem bonum permanebit in aeternum. Et Proverb. c. 22 scribitur. Melius est nomen bonum, quam divitiae multae. Hanc etiam, ut viri innocentes et sancti non spernant, eos monet Augustinus in lib. de bono viduitatis, et habetur in c. non sunt audiendi II q. 3 ubi conscientiae suae testimonio tantum fruentes, et famae vulgaris contemptores impudentes et crudeles appellat, cum aliorum animos occidant, quoniam si nobis vita nostra, aliis quoque fama necessaria est. Idem etiam repetit in sermone de communi vita clericorum, et habetur in c. nolo 12 q. 1. Nec hoc loco quispiam existimet inanis gloriae cupiditate, aut perniciosa ambitione eos tentari, qui boni nominis curam habuerunt, cum hoc sine ulla criminis suspicione unicuique liceat (ut supra dictum est). Nam iuxta Apostolum providenda sunt bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut in dicto c. nolo, et Matth. 5 c. Luceat lux vestra coram hominibus. Haec etiam cumulatissime habentur per Augustinum de Ancon. in tract. de eccles. potest. q. 15 art. 3.

Oratores pro
canonisatione.

Haec autem quae supra dicta sunt maxime adiuvantur, cum plurimi magnitudinem divini cultus affectantes pro canonizatione Beati Francisci etiam atque etiam instant, nam licet alias solae religiosorum preces ad canonizationes sanctorum exaudiantur quorum ipsi ordinem professi fuerint, ut legitur in c. Venerabili de test. Attamen B. Franciscum ascribi in Cathalogo Sanctorum non solum religiosi quorum ipse regulam instituit sed et S. R. E. Cardinales nonnulli suppliciter postulant, ad quos non tantum fama hominis penetravit, sed ipsius Sanctitas et innocentia eis cognita perspectaque est, cum Beati Francisci meritis suffragantibus divina benignitas eorum votis frequenter annuerit. Instant etiam populi et civitates quamplures maxime apud quos religionis suae monasteria sumptuoso satis opere extruxit qui sancti illius locupletissimum perhibent testimonium, cum

et viventis et mortui opem et auxilium saepius senserint, et in dies quoque experiantur. Idem quoque summis precibus efflagitant multarum civitatum Episcopi, qui de hominis sanctitate et innocentia certo edocti, iniuriam se Deo facere arbitrantur, si pro illius canonizatione omnem operam suam et diligentiam non impenderint, non immemores eius quod scribit Hieronimus quod Deo ab hominibus est qui sanctum, non sanctum esse crediderit, ut habetur in c. Si quis dixerit II q. 3. Id super tota mente, omni spiritu petit summae pietatis et religionis mulier Ducissa Aloysia nunc Regis Galliarum mater, quae aeternae beatitudini intendens Deum ipsum in sanctis suis collaudari, divinumque cultum augeri, populorum devotionem, et fidem in sacris piisque operibus ampliari et conservari vehementer exoptat. Haec autem omnia ex litteris apud acta fideliter descriptis omnibus patent. Quod si cuiuscumque iuxta et honesta potentis adiuvandae, exaudiendaeque sunt, quis tot populorum Cardinalium, Episcoporum, Ducum, religiosorum tam pio sanctoque desiderio etiam non rogatus sponte non annueret? Maxime cum iuxta Lucam in evangelio II c. divina veritas nos moneat quod nobis iuxta potentibus assentiet dum inquit: Quis ex vobis potenti panem lapidem porriget, aut piscem potenti dabit serpentem? et idem: Petrite et accipietis, pulsate et aperietur vobis, omni enim potenti dabitur, et pulsanti aperietur. Quod etiam Paulus ad Ephes. 8 c. docet inquiens. In oratione et obsecratione petitiones nostrae innotescant apud Deum, et ad Thimoth. 2 c. Insta opportune importuna quod habetur 43 dist. c. Si rector ad finem et alias. Importuna oratio opportuna impetrat, de poenit. dist. 1. Importuna. Exemplo igitur Domini nostri Iesu Christi. Tu quoque Pater Beatissime cuius vices hoc in saeculo eo adiuvante geris, horum omnium supplicantium sanctas et pias preces libenti animo exaudies.

Quod si aequus rerum Iudex, ac cuncta circumspiciens diligenter et perpendere et rimari voluerit, quac

ad canonizationem Sanctorum, vel a theologis, vel a canonistis requiruntur illa ad referendum B. Franciscum inter sanctos quadam veluti conspiratione convenire profecto comperiet. Innocentius igitur in c. de reliq. et vener. sanct. quem Io. And. et alii sequuntur satis esse existimat, si canonizando illa suppeditent de quibus habetur Ecclesiastici 44 ubi dicitur: Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua, multam gloriam fecit Dominus sua magnificentia a saeculo. Quae omnia idem Innoc. ita interpretando prosequitur. Laudemus viros gloriosos aperte docet quod canonizati erant, alioquin non mandaretur ecclesiac, quod eos laudaret, sed dum subdit, parentes nostros, ostendit quod nulli pro sanctis habendi sint, nisi fidem habeant. Soli enim parentes eorum qui erant Iudei, et penes quos tantum tunc erat fides, canonizandi erant, ex eo autem quod subsequitur. Multam gloriam fecit Dominus, videlicet cum illis appareat minime sufficere quod semel fuerint gloriosi, imo oportere quod multis in rebus, et quod saepissime vita illorum gloria illustrata fuerit. Postremo dum dicit, sua magnificentia, idest sua magna potentia ostendit quod exempla vitae, et miracula ea esse debent, quae naturae vires, et potentiam excedant. Secundum hanc igitur auctoritatem Ecclesiastici quatuor tantum requiri videntur, videlicet fides, vitae et morum exempla, miraculorum frequentia, ac multitudo. Postremo quod miracula ipsa supra naturam sint, cuncta autem haec abunde, copioseque in B. Francisco reperiuntur nam ex legitimis et Christianis parentibus nascens secundum Christi fidem ac religionem baptizatus ac educatus fuit. Praeterea, ut inquit Hostiensis in summa de presbytero non baptizato § 5.: Si de hominis baptismis plene constare non potest, probaret tamen quod ex Christianis parentibus esset natus et inter Christifideles assidue versans iuxta eos vitam ageret secundum Christianorum consuetudinem et ritum proculdubio baptizatus praesumeretur. Illud quoque non omittam, quod si ardenti charitate (ut

Quae et quae
requiruntur pro
canonizando.

supradictum est) maxime flagraverit rectaque fide plurimum abundaverit, necesse est, ut Augustini testimonio in lib. de doctr. Christ. c. 7 utar, dum inquit: Fide titubante languescit charitas, nam a fide si quis ceciderit a charitate necesse est ut cadat. De excellentia vero vitae et morum satis superque dictum est. Miracula autem naturam ipsam superantia, eorumque immensa multitudo, quibus et vivens, et mortuus continuo claruit licet omnibus notissima sint, ita fideliter apud acta patient ut supervacaneum sit illa loco recensere.

Ultra haec requirunt etiam sacri doctores quod canonizatio ipsa nequaquam festinetur; sed quod menses aut etiam in annos si res forte exiget Summus Pontifex illam differat. Monentur autem verbis Apostoli ad Timoth. dicentis: Nemini manum cito imponas ex quibus quidem verbis in c. quid est manus 78 dist. Interdicitur ne ante examinis legitimum tempus aliquid agatur. Unde Leo Pont. in c. miramur 61 dist. monet nisi legitimi temporis spatiis intercurrentibus caelestes dignitates divinaque munera minus recte dispensari. Mora quippe ipsa prudenter interponitur ut ex ea merito cognosci possit, an supplicationes quae pro Canonizatione intercedunt a Deo nascantur, quia si ex humano tantum desiderio procederent, longum tempus eas facile interrumperet, nam ut habetur Act. apostolorum c. 1 ad fin. Omne consilium quod ex hominibus, aut opus temporum mora necessario dissolvitur. Si vero ex Deo est, resolvi non potest, quia Deo repugnari non potest. Praeterea cum sub vestimentis ovium multi lupi rapaces inter homines appareant et in nomine Domini demonia eiicient, quibus tamen, ut nefariis et improbis iuxta Matth. 7 c. per divinam maiestatem dicetur nescio vos, et habetur 1^a q. 1 c. prophetavit cum prophetare, miracula facere, ut scribit ibidem Hieron. non ex meritis operantium sed ob solam divinae gratiae invocationem ac utilitatem eorum qui vident, vel audiunt interdum procedat, quod latius prosequitur Augustinus in q. 87,

Canonizatio
Sanctorum non
debet esse subi-
tum.

et habetur 1 q. 1 c. tencamus profecto ne aut ex fictis, et simulatis virtutum operibus aut ex signis non ex iustitia operantium procedendo quispiam decipiatur vel illudatur, tempus ipsum cunctos illustravit, quod etiam Menandri testimonio edocemur, dum (sapienter inquit) dicit ad lucem veritatem tempus. In eandem quoque sententiam scribit Sophocles in Aiace. Omnia longum et innumerabile tempus producit occulta, et in Cédipode. Tempus iustum virum ostendit. Solum his omnibus consentit etiam Justinianus inquiens in auth. de restit. et ea quae parit § 1 quod tempus consuevit fere omnia mortalibus ostendere. Nonnullis etiam rationibus quas brevitatis gratia omitto non subito experiendam esse canonizationem ostendunt Aug. de Ancona in tract. de eccles. potest. q. 16 art. 2. Et Archiepiscopus Flor. in 2 par. 3 partis summae sub rubr. de statu Pontificum, dum tractat de potestate Papae.

Quanto tempore expectandum sit,

Quanto autem tempore expectandum sit, cum statutum non reperiatur Summi Pontificis arbitrio relinquitur argum. L. 1 de iur. delib. et eorum quae habentur in c. in causis de offic. deleg. qui rei qualibet personarum conditione inspecta, rebusque omnibus diligenter consideratis negotium ipsum diffiniet. Verum super canonizatione de qua agitur diutius cunctandum esse non arbitror, cum in ea iam annis quatuor summa ope, summoque studio ad perquirendam, indagandamque veritatem elaboratum sit, quae plurimis validisque argumentis et variarum rerum claris probationibus manifestata firmioribus, certioribusque documentis nequam egat.

Qui venit canonizandus secundum theologos et canonistas.

Postremo non omittendum est quod secundum theologos canonistas demum canonizandus est, qui in singulis virtutibus excellit, quod ita intelligendum est, ut recte existimat Collec.^m in c. 1 de reliq. et ven. Sanct. Si in cunctis ipsius virtutibus exercere se potuit. Nam heremitis et anachoretis sanctis, corona ab ecclesia donatur 2 q. 7 c. Sancta quoque rusticitas, qui tamen propter

solitudinem et heremum charitatis opera in alios effundere non potuerunt, nec etiam patientiam pertulisse propter Deum habuisse probari possunt. Cum malorum hominum vexationes et molestias passi non fuerunt, Idem quoque probatur in religiosis claustralibus et monialibus, quibus opera iustitiae, facere eleemosinas indigentibus dare nequaquam concessum fuit, et tamen sanctitatis praemia consequuntur ut patet in c. Vidua 20 q. 1 et in c. Sanctimonialis et habetur in c. Joannes de regul. Si igitur quae ad canonizationem Sanctorum pertinent ea vel secundum theologos et canonistas vel secundum consuetudinem hactenus observatam diligenter consideremus, profecto canonizationi de qua agitur nihil penitus deficere, sed omnia superabundare facile comperiemus.

Verum quia (ut supra commemoravimus) miracula ad canonizationem Sanctorum, maxime confessorum sunt necessaria, videndum esset, quid sit miraculum, et quot requiruntur ut miraculum dici possit, quae cum plene recitantur per glo. et Doc. in c. 1. de reliq. et vener. Sanct. li. 6 per doct. in c. 1 cod. tit. in antiq. per Archid. 269, 5 c. nec mirum et c. teneamus 1 q. 1 de his loco dicendum esse non arbitror, cum omnibus pateant. Illud tamen non omitto quod licet Doctores velint quod miraculum sit contra naturam, quod probatur in c. quod morte verum. Contigit igitur accidentia de celeb. miss. et ibi not. Abb. quod illud est proprium miraculum, quod est contra naturam, tamen S. Thom. in tract. de fide Catholica in c. totius ordo ad fin. ex multis concludit quod de substantia miraculi non est ut sit contra naturam, sed ante omnia sciendum est quomodo miraculum probetur, qua quidem in re Bal. in L. solam § de test. quaerit. An testes super miraculis non interrogati debeant reddere rationem dicti sui, et non determinat lo. vero monac. Io. And. et Gemin. in c. 1 de Confess. lib. 6 affirmant quod miracula directe probari non possunt, sed per indirectum, sive miraculum fuerit in

Quid sit miraculum.

Miraculi probatio.

facto, sive in modo, utriusque autem exempla subiiciunt, nam si illuminetur coecus, vel suscitetur mortuus, cum a privatione ad habitum non detur, secundum naturam, regressus, dicitur miraculum in facto. In modo autem faciendi narrant. Si febricitantes, vel alio morbo laborantes, licet secundum naturam, et artem adhibitis remediis, et intercedentibus temporum spatiis sanari potuissent, si tamen ex invocatione Dei, vel sancti alicuius subito sanati fuissent, vel etiam ex intervallo (ut infra subiiciam) non adhibita tamen communi hominum cura, miraculum probaretur ut etiam firmat Archid. in c. nec mirum 26 q. 5 et quemadmodum circa utrumque exemplum non cadat nisi indirecta probatio latius ipsi prosequuntur, quorum rationes brevitatis gratia omitto, ne ultra quam par sit prolixior videar. Bar. vero in tract. de test. in verb. qualitas docens quid sit miraculum et quomodo probari debeat in Canonizatione Sanctorum, concludit quod ubicunque vires humanae, et ipsius naturae exceduntur, sive in subiecto, sive in modo faciendi semper clare probatur miraculum, et ubicumque testis concludit, quod ad invocationes alicuius, vel votis ad Deum emissis, illa facta sunt probantur animam illius esse beatam, Beatorumque sedes obtinere.

Testes singulares an sufficient in probandis miraculis.

Videndum est etiam cum multa ex miraculis de quibus agitur per testes singulares probentur verum in probandis miraculis testes singulares sufficient, quorum alter de uno, alter de alio deponat, et sic de diversis miraculis attestantur. In quo quidem articulo Archid. in c. nec mirum 26 q. 5 allegans Vinc. in c. Venerabili de test. tenet quod non. Idem refert et sequitur Ant. in c. cum oporteat in 6 col. in 9 q. de accus. D. Maria in c. qualiter et quando el. 2 de accusat. D. quoque Felin. in c. licet ex quadam in pen. col. de test. Cum eis transit. Idem tenent moderni Mediolanenses repeten. in L. admonendi in 92 col. § de iur. iur. refert et sequitur D. Alex- haec dicta Archid. Vinc. et D. Ant. cons. 72 in 2 col. et cons. 100 in 5 col. in primo volumine.

Sed tenendum est contrarium quod rationibus et auctoritatibus ostenditur. Nam circumspecta etiam illa opinione qua utimur quod ubi agitur de probando aliquo, quod habet temporis continuationem et actuum multiplicationem, quod singularitas testium non nocet, ut est in probanda jurisdictione vel haeresi, quae continuata est in qua unus deponit, quod audivit dicentem, non credo in Christum, alius dixit, eum audivisse dicentem non esse natum ex Virgine, alius etiam dicit audivisse dicentem, non credere resurrectionem. Nam isti testes, cum in ipsam haeresim concludant, et in eundem finem convenienter sunt contestes, licet in causis scientiae sunt diversi, ut per Bar. in c. cum omnes de Constit. in L. 1 § qui numero tutelarum in L. Actor. in 3 col. de probat. per glos. in L. hoc Carmen. § fi. de test. post Innoc. in c. licet ex quadam de test. ubi multa per Felin. in hanc sententiam recitantur, quae opinio si tenetur, quam amplectitur etiam in haeresi D. Alex. sibi contrarius Cons. 141 in 2 col. in primo vol. extra omne dubium est quod in probatione miraculorum testes singulares admittantur, cum agatur de facto, quod habet continuationem temporis et actuum multiplicationem, ut ex se patet.

Sed omisso fundamento quod suprascripti Doctores non admittunt inherentes regulae quod duo testes etc. dicitur quod opinio contraria probatur clarissimo fundamento, quia ubi agitur de aliquo probando, et non agitur de praejudicatio alterius, ut si agatur quod ecclesia sit consecrata, vel quod aliquis sit baptizatus statur dicto unius testis glos. etiam in c. nuper, et in c. licet ex diversis de test. concordan. de quibus per Felin. c. veniens primo pen. col. de test. post D. Ant. ibi et speculatur in tit. de test. § restat vers. hoc tamen fallit in 9 fall. ergo clare constat, quod idem est in probatione miraculorum, quia actus iste inespecta sui natura, nemini praeiudicat, ut firmat Egid. decis. 62 cum duabus sequentibus, et hoc fundamentum omnem tollit difficultatem.

Ostenditur quo-
modo et quando
probant singula-
res testes.

Accedat quod dictum unius notabilis viri inducit iustam credulitatem ut per glos. in L. Titio fundus § de condi. et de qua ibi multum commendat Bal. cum multis quae ad exhortationem illius glos. recitantur per Felin. in c. cum contigat de rescript. Quum ergo hic plurimi notabiles viri deponant de miraculis in corum persona vel filiorum contingentibus iustissime illa credemus, maxime cum contrarium nemo dicat.

Corroborantur praedicta ex doct. Paul. de Castr. in L. servos § de test. quod ubicumque homo liber deponit de facto proprio, facit plenam probationem. Idem dicit in L. quicunque § de servis fugit. Et ita hac doctrina consulendo saepe usus est in cons. 229 incipien. visa petitione in p. col. et in cons. 368 incip. Visis actis, et licet hoc dictum ab aliquibus impugnetur, tamen in casu nostro indubie tenendum est per supradicta.

Suadentur etiam quae dicta sunt ex eo, quia multa miracula per contestes probantur et ultra haec per infinitum testium numerum plenissime probata est fama de miraculis per cum factis, eo quod vivente, et post mortem illius supercrevit.

Fama autem, ubi agitur de probanda hominum virtute sola probat, ut inquit Bal. in L. providen. per illum test. c. dc postul. Item ubi agitur de causis levis praeiudicij plene probat, ut per Bar. in L. de minore § tormenta in ult. col. ff. de quest. in L. si constant in p. 3, 4 ff. 50 glos. et Doct. in L. ubi adhuc c. de vi. Doct. can. in c. veniens p. de test. et in c. p.º de appell. quanto ergo magis per famam miracula probantur ubi de nullius praeiudicio agitur.

Ultimo communis est opinio quod fama cum uno teste plene probat ut per glos. 4 q. 3 § saepe et in c. veniens I de app. et per Doct. ibi et in d. c. veniens.

Ergo ex suprascriptis clare constat, vel per singulares testes, vel per solam famam vel saltem per famam, una cum testibus miracula de quibus agitur plene probari.

Non omitto quod dictum Vincen. in c. Venerabili de test. in specie damnat Collec. et Egid. Doc. antiqui in c. 1 de reliq. et ven. sanct. Hinc est quod si casu contingit semper obtentum est quod singulares testes probent, prout late ostendit solemnis doctrina Franc. Pavin. fuisse observatum in canonizatione Sancti Bonaventurae, et Leopoldi in tract. de canonizatione sanctorum prope finem.

Dubitabunt forsan etiam nonnulli, an illa miraculis iure ascribantur, quae non statim lacta fuisse testes perhibent cum secundum eos alii non sine tormentis et doloribus, alii non sine naturae auxilio, et diebus non paucis intervenientibus sanitatem demum obtainuerint. Sed profecto in his nequaquam dubitandum est, cum spatium temporis miraculorum virtutem non impedit nam ut dicit glo. Matth. 8 c. loquens de Christo quam verbis tantum statim curare poterat paulatim sanat humanae caecitatis magnitudinem, ostendens quae vix et quasi per gradus ad lucem redit, multis quoque citatis divinarum litterarum testimoniis.

Idem attestantur Archid. in d. c. nec mirum 26 q. 5 quem Io. And. et alii referunt et sequuntur in d. c. de reliq. et vener. sanct. in 6. Quod autem contra rationem substantiam ^{re} miraculi non sit sine liberatione alicuius dolor, etiam maximus interveniat patet Marci 9 c. dum dicitur de Demone. Et clamans, et multum discerpans, exivit ab eo qui factus est sicut mortuus, nempe ergo fateri oportet gravissimis agitatum fuisse tormentis et doloribus, ut cunctis mortuus videretur. Hoc quoque sanctorum patrum variis exemplis comprobatur Archid. in locis supradictis. Minime etiam miraculorum potestati adversatur si in eis operandis naturae auxilium intercessisse videatur, ut constat 4 Regum c. 5 de Haelisco qui misit Namaam principem militiae Regis Syriae leprosum ad lavandum se septies in Iordane. Ut legitur etiam Jo. 9 c. quod Christus linivit oculos caecinati ex luto quod ex sputo confecerat. Alios etiam misit

An quae sunt auxilio naturae
sunt ascribenda
miraculis,

ad natatoriam Siloes. Illud postremo praetereundum non est, quod ad hoc ut miraculi virtus subsistat satis est, si restituta sanitas verisimiliter videbatur duratura, licet ex sanati culpa superveniente, aut divina dispositione momentanea fuerit, ut de Petronilla legitur, quae a B. Petro eius patre tantum ut discubentibus ministraret, sanata est. Haec autem omnia possem comprobare variis auctoritatibus et sacrarum litterarum diversis documentis. Sed quia canonizationi de qua agitur necessaria esse non existimo propterea iure omittenda esse censui.

Laus Deo.

